Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

Johan

Ex inde quærebat pilatus dimittere eum. Iudei autem clamabant dicentes
Si hunc dimittis non es amicus cesaris. Omis enim qui se regem facit
contradicit cesari. Pilatus autem cum audisset hos sermones adduxit
foras iesum. et sedit pro tribunali in loco qui dicitur lithostratos. hebraice
autem gabbatha. Erat autem parasceue pasce hora quasi sexta. Et dicit
Iudeis. Ecce rex vester. Illi autem clamabant dicentes. Tolle tolle crucifige
eum. Dicit eis pilatus. Regem vestrum crucifigam. Responderunt pontifices.
Non habemus regem nisi cesarem. Tunc ergo tradidit eis illum
vt crucifigeretur. Susceperunt autem iesum et eduxerunt. Et bajulans
sibi crucem exiuit in eum qui dicitur caluarie locus. hebraice autem
golgotha. ubi eum crucifixerunt. Et cum eo alios duos hinc et hinc
medium autem iesum. Scripsit autem et titulum pilatus. et posuit super
crucem. Erat autem scriptum. Iesus nazarenus rex iudeorum. hunc autem
titulum multi legerunt iudeorum. quia prope erat locus ubi
crucifixus est iesus. et erat scriptum hebraice graece et latine. Dicebant
igitur pilato pontifices iudeorum. Noli scribere. Rex iudeorum. sed quia
ipse dixit. Rex sum iudeorum. Respondit pilatus. Quod scripsi scripsi.
Milites ergo cum crucifixissent eum. acceperunt vestimenta eius. et
fecerunt quatuor partes. vnicuique militi partem. et tunicam. Erat autem
tunica inconsutilis. de sursum contexta per totum. et dixerunt ad inuicem.
Non scindamus eam. sed sortiamur de illa cuius sit. vt scriptura impleatur
dicens. Partiti sunt sibi vestimenta mea. et in vestem meam miserunt
sortem. et milites quidem hec fecerunt. Stabat autem iuxta crucem iesu matris
eius. et soror matris eius. Maria cleophe. et Maria magdalene.
Cum vidisset ergo iesus matrem. et discipulum stantem quem diligebat
dicit matri. Mulier ecce filius tuus. deinde dicit discipulo.
Ecce mater tua. et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Postea
sciens iesus quia omnia consummata sunt. vt consummaretur scriptura dicit. Si
tio. Vas autem erat positum aceto plenum. Illi autem spongia plena
aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset
iesus acetum dixit. Consummatum est. et inclinato capite emisit spiritum.
Iudei igitur quoniam parasceue erat. ut non remanerent corpora in cruce in sabbato.
Erat autem magnus dies ille sabbati. Rogauerunt pilatum ut
frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt igitur milites et
primum quidem fregerunt crura. et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad